



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXII. In Domin. II. Post Pascha. Lupus rapit & dispergit oves. Ioan. 10. Arg.
Lupus edocetur Pater noster.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XXII.
IN DOMINICA II. POST PASCHA.
Lupus rapit, & dispergit oves.

Joan. 10.

ARGUMENTUM.
LUPUS EDOCETUR PATER
NOSTER.

CUM lupo, & quidem rapacissimo, res mihi hodie est, Aud. Non quidem cum silvestri, ac irrationali, attamen cum domestico, & ejusdem genii ac naturæ cum illo. Nam si ille in pellibus ravis incedit, & iste; si ille insidiatur ovibus, & iste; si ille dentem jam in hunc, jam in illum impunè figit agnellum, pellémque detrahit, ac degulat, & iste simplices, atque innocentes circumvenit, pellémque detrahit. Nam quid sunt bona externa, vel ipsius Orci testimoniò, quàm vellera, & pelles? *Pellem, ait, pro pelle, & cuncta qua habet, dabit homo pro anima sua.* Id est, bona fortunæ, pro bonis corporis sui, & vitæ tuendæ ergo exponet. Illis enim perinde ac pellibus circumdamur, fovemur, protegimur. Consequens

Et. 2. 4.

itaque est, ut qui alterius bona diripit, pellem deglubere censeatur, & in hoc cum lupo rapace communicet.

Quid ergo ago cum hoc lupo domestico? Dissimulo. Reus depasti pecoris arguar. Canes immitto, retia dispono? Loci religio vetat. Foveam, in quam incidat, eruo? Nimis ille cautus est, & vigili acie prævidet, & odoratur casum. Trado Magistro cuiquam cicurandum, aut instruendum? Nimis bardus, ac stolidus est. Pilum ille forsitan, non mores, & mentem mataret. Et vulgò dicitur, dic Lupus Pater noster, & ille remussitabit, ovis. Ne quid tamen partibus meis desit, id ipsum tentabo, atque hunc Lupum moribus Christianis imbuere studebo, Pater noster, quò filii Dei mores & pietatem ediscat, edocebo. Attende
frater

frater Lupe, & sequere, oro, præeuntem.

§. I.

Exordium Orationis Dominica Lupo proponitur.

Pater noster explicatur Lupe.

II. **P**ater noster. Noveris, mi frater Lupe, & si quæ soror etiam invenitur Lupa, DEUM esse reverà Patrem nostrum, qui nos ex nihilo ad sui similitudinem, homines rationales condidit; qui perditos per mortem Filii sui à morte, & gehenna redemit; qui per Baptismi laticem ad novam vitam regeneravit; qui nos sibi in filios gratiæ adoptavit, & ad cælestem hereditatem evocavit. Dic ergo: *Pater noster, qui es in cælis.* Quid hæsitas, quodnam os gutturi infixum, quominus enunties? Sequere: *Pater noster.* Non potest ille verbum istud egurgitare; & si forsitan vocis sono profert, inanime certè, & citra affectum omnem protrudit. Quippe ille Deum Patrem in veritate invocat, qui haud degenerem sese divinis ostentat cunabulis, is qui Patrem, non mercedem spectat, qui non Sathanæ fornicarii voces auscultat, sed Deo in omnibus morem gerit. Ille *nostrum* indigitare, qui alios quantumvis pauperes, in fratres recipit. Cunctis enim eandem cælestis Pater donavit fibulam, dignatus omnium ex æquo Pater vocari, & cohæredes Filii sui fieri; ita ut ex hac divina profapia, nec ille Lazarus excludatur, qui in plateis profusis lachrymis stipem exorat; qui redemptionis pretia

interponit, qui per sanguinem, ac vulnera Christi obtestatur; nec ille, qui in pandochio quopiam incrustatus, ulceribus resupinatur; nec alter, qui in centombus afflictus, & egens obambulat. Ille, *qui est in cælis*, potest subficere; qui hereditatem ex hac filiatione redundantem sperat in cælis, non in terris; qui mentem suam transfert in oratione à terrenis ad cælestia; qui non alia efflagitat, quàm quæ ad cælum, & ad Deum ducunt.

Jam verò quâ linguâ, aut quò animò Euclio quispiam Deum Patrem suum inelamabit, quum in omnibus sit discolor, ac degener, cum similitudinem imaginis ipsius eraserit ex anima sua, quando se servum ac mancipium mundi esse meminit; mandata ejus vilipendat, ac fugillet? Quibus labiis apponet *noster*, qui in hoc sæculo nullam fraternitatem admittit, in altero citra vesanam præsumptionem sapere nequit? Quomodo ille, qui alienos labores, & sanguinem harpiarum more exugit, qui accuratiore solertiâ canibus, quàm proximi succurrit; qui nec eodem prognatos nidò, ad communionem ullam admittit? Quò superciliò addet: *Qui es in cælis*, qui non nisi hæc mobilia sectatur, auram popularem venatur, perituram inter mortales exambit gratiam, thesaurisque agglomerandis inhiat, nec quicquam in cælis repositum habet, aut spe præcipit.

Frustra igitur Lupis occino: *Pater noster*, & subvereri cogor, ne si fortè iconem Patris æterni, aut Filii illius exhibeam, oculos, mentemque cum al-

Avarus nequit dicere Pater noster.

tero fulminato à forma avertant, & ad materiam se reflectant, petantque, sine argentea crux, vel imago, & quanti constet? seu, estne probati argenti, an non?

§. II.

Sanctificetur nomen tuum.

III. **M**itto itaque præfationem istam, & ad primam petitionem me converto. Audi me, quæso, frater Lupe, & altum præcordiis imprime. Deus Optimus M. qui se nobis Patrem exhibere, & nos in filios suscipere dignatus est, is te, & universa, quæ conspicis, quibusve frueris, condidit in laudem, ac gloriam suam. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Dignum proinde est, mi frater Lupe, illum cognoscere, laudare, magnificare, ac petere, ut omnes homines cognoscant, colent, sanctificent ipsum, id est Deum in essentia unum, & trinum in Personis, ac illius famam ac gloriam, omnipotentiam, sapientiam, justitiam, misericordiam, cæteraque attributa magnificent. Nihil enim augustius, sanctius, divinius Deo; ac proinde nihil magis reverendum, colendum, glorificandum. Si vilis humana majestas tanti æstimatur, ac colitur, si tot tantisque præconiis efferuntur eorum facinora, aut beneficia; quantis cogita celebrandum, ac efferendum Numen ipsum, à quo omnia redundant, qui citra ullam comparationem eminet universis. Dic ergo Lupe, *Sanctificetur nomen tuum.* Sancta tua Majestas, Deitas, Omnipotentia,

*Sanctifica-
re nomen
Domini,
quid sit.*

*Prov. 16.
v. 4.*

Clementia, &c. decantetur, ac glorificetur, timeatur, ac ametur ab omnibus fidelibus ac infidelibus. *Sanctificetur nomen tuum*, & dispereat omne nomen idolorum, ac hæresiarcharum. Tacet lupus, suum quærit, non nomen Domini magnificare. Si fortè ore egurgitat, *Sanctificetur nomen tuum*, corde profectò eructat, nomen meum, ac filiorum meorum, gestiretque, quatenus universi divitiis ipsius sese acclinarent, seque Dominum præpotentem devenerarentur.

IV. Sanctificantur permulta in Ecclesia piè a sanctè in usus certos, quemadmodum campanæ, panis, potus, herbæ. Hunc pium usum perperam æmulantur Lupi rapaces, & se ad eam sanctificationem devotos exhibent. Ubi enim illucescit dies festus, in quo decantari, ac sanctificari nomen Domini par esset; tum apud quospiam clarificatur vinum, mulsam, vinum adustum. Tunc uxori manendum domi, ad cauponandum potum; tum viro pulsanda moneta, an proba, aut reproba; tum panis glorificandus, & epulæ instruendæ. Et ubinam nomen Domini? Ignotum, propè ac apud Athenienses nomen Ignoti DEI; seu apud Romanos nomen Deæ silentiariæ.

§. III.

§. III.

Adveniat regnum tuum.

V. R. Ecordare tamen, frater Lupe, tibi non semper successura latibula, migrandum nonnunquam ex silva. Veniet, veniet venator mors, quæ te jaculo confodiet; veniet Sathanas, qui te reti suo involvet; veniet Deus ipse, qui à te rationes exiget, & te hinc exturbabit. Eja itaque, asylum aliud in tempore prospice, & defensorem accura. Precare, ut Dominus Deus tuus absolute, semotoque regnet adversario; ut omnes omnino creaturæ, ac homines eidem incurventur, ut gloriose in piis regnet per gratiam, ac gloriam; in impiis per justitiam ac vindictam. Precare, quatenus sequestratis offendiculis, ex hoc mundo, tanquam ex periculosa militia, unà tecum transferaris ad regnum gloriæ, ac felicitatis æternæ. Precare, inquam, hæreditatem sanguine Filii Dei comparatam, & exulula: *Adveniat regnum tuum.* Video, ô Domine, Sathanæ regnum mirum in modum propagari, video terrena omnia evanescere, regnum tuum sempiternum in audio, ac credo: *Adveniat regnum tuum.*

Eheu, incassum & id occino, ut video, non novit, nec credit Lupus aliud regnum, præterquam quod deperit.

Lupi, testimonio Metaphrastis, vivunt Olympum, nec ullus unquam in monte illo celsissimo visus est. Horrent nimirum silvestres Lupi sublimia, & ut plurimum in dumeris, ac vallibus, vel

ut Hyena (quæ & ipsa de familia ipsorum habetur) in sepulchris morantur. Peræqua conditio domesticorum, seu civilium luporum, & ipsi viscera terræ rimantur, terram liguriunt, sepulchra effodiunt, tenebras adamant, ab Olympo cælesti ore Apostolico fugantur. *Nolite, ait Doctor Gentium, errare fratres mei, neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Arcet, & rejicit ille met, qui tenet claves mortis, & inferni, dum ait: *Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim, Camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum calorum.* Quemadmodum naturalibus mediis, ac industriâ implicat gibbosum illud animal foramen acus transire, ita etiam impossibile est, naturalibus viribus, aut etiam communibus Dei auxiliis divitem fieri participem regni cælestis. Singularibus, amplioribusque auxiliis supernaturalibus illi opus est, ut ab inordinato divitiarum, ac illecebrarum affectu avellatur, & finem suum, in quem conditus, consequatur.

Jam verò, si id de quovis etiam innoxie opulento adstruitur, quanto ægrè difficiliusque regnum illud patebit lupis rapacibus, & sanguinem proximi exugentibus. Resipisce itaque, frater lupe, & sectare justitiam, ac dicito: *Adveniat regnum tuum, Domine.* Non audit. Dic lupo, *Pater noster, & ille remulsiabit ovis.*

*Avari celo arcantur.**1. Cor. 6. 9.**Luc. 18. v. 25.**Lupi vivunt Olympum.*

§. IV.

Fiat voluntas tua.

VI. **I**am si mihi cum silvestri lupo res esset, tangerem defectum quempiam colli ipsius, quod illud inflectere nequeat. Sed heu idem defectus est domesticorum in voluntate. Nolunt illam inflectere ad amissam, & regulam supremæ divinæ voluntatis, sed suam in omnibus sequuntur, & quantum in illis est, exequuntur.

Nihilominus & hinc scito mi Lupe: Quia: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris, qui in cælis est.* Scito quod necquicquam Numen tremendum viadiceret, ac detestetur præter propriam voluntatem. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit:* loquor cum mellitissimo Patre Bernardo. *In quem enim ignis ille deservit, nisi in propriam voluntatem?* Si itaque Deum amicum exoptas, idem velis, idem nolis cum eodem; nihilque aliud intensius exoptes, quam ut ipse dirigat actiones tuas omnes secundum beneplacitum suum.

Homer. in Odyss.

Catenam pendere è cælo à Jove dimissam commentus est Homerus, quatenus dii in terris commorantes ad eam appensi, ipsum è cælo traherent, & attraherentur. Typus id orationis ad divinam voluntatem conformatæ; Catenam illa est, quâ Deum ad nos trahimus, nosque ad eum trahimur, dum velle nostrum infallibili, & æquissimæ ejus voluntati subjicimus, & is est ora-

tionis nostræ præcipuus effectus. Dic ergo mi Lupe: *Fiat voluntas tua.* Reluctatur, & abnutat. Mallet ille orare: O Domine, non tua, sed mea voluntas fiat; sicut in cælis, ita & in terris, in vota te quæso inclines nostra.

Obviantem sibi canem bellè adipatum nactus in nemore lupo, faustum mane apprecatur, scitaturque ut valeret? Cui pancraticè valere se jactanti, instabat Lupus: Unde tibi tam procerastatura? unde pellis tam nitida? venter tam tumidus? Respondit canis: Favori id Domini mei acceptum fero, cui quando adblandior, ille me demulcet, ex orbe offam ministrat, tapete dormituro insternit. Arrisit id genio Lupi, & se animitus Domino ipsius deserviturum, si gratiam faceret, jurat. Efficiam, inquit canis, quod petis, & te pro virili commendare adnitar; tu duntaxat mores tuos paululum agrestes corrige, & ad officia humanitatis, voluntatemque heri mei exequendam te compone. Recepit Lupus, se id accuraturum, & illi vicissim, si pondus habuisse commendationem illius perspexerit, servitia sua commodaturum. Cùm ecce arbitratum antehac non visam in collo vertagi armillam, & num de familia Torquati foret, aut qua de causa torquem hanc portaret, expiscatur. Cui canis: Herus meus eam mihi imposuit, illaque me advincit catena, ne contra ipsius voluntatem, aut lepores insecter, aut feras alias, hominesque ipso invito invadam. Quo audito, lupo reululabat: Jam renuntio tali Summati, malo genio meo amplius, etsi minus cuticulæ litare. Præstat sui, quàm alterius

Fabula de Lupo & Cane.

alterius esse arbitrii. Tu, si libet, in ergastulis sagine operiare, ego libertatem meam tanti haud auctiorabor, aut prostituum.

Reflectite Vos, quæso, ab hoc silvestri lupo, ad domesticum, & dicite, an non idipsum præstet ille, an non invitò Dominò, pauperem tanquam lepulem invadat? an non devorare festinet? an non malit perire, quàm voluntatem suam ad amissim divinæ inclinare? Nimirum, dic *Lupo, Pater noster, & ille dicet ovis.*

§. V.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

VII. VERùm ut ista comprehendere nequis cerebellò tuò, minimum tibi imprime: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Novi enim probè stomachum tuum; liquidum te non panes, & carnes tantùm, sed & terram ingerere, ac ossa belle concoquere. Dic ergo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Id est: Largire ò Domine, cibum ac potum, victum & amictum non alienum, aut raptum; sed mihi per laborem, census, elemosynas, aliisve viis dandum. Largire panem nostræ substantiæ congruentem, & sufficientem, non qui serviat voluptati, sed necessitati; non delicatum, aut copiosum, sed frugalem, ac moderatum; id est quotidianum. *Divitias ac paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm viis meo tribue necessaria.* Largire in super panem spiritualem, panem su-

per substantialem, ac Eucharisticum; panem inquam corporis & animæ; & sacramentum visibile, ac invisibile verbi Dei.

Quid verò cogitat, quid postulat Lupus, quid avarus? Panem infinitum, panem sine numero, pondere, mensura. Mallet ille ut juxta Midæ votum, cuncta suo attractu converterentur in aurum, aut argentum. Gestiret non tam cibo vulgari, quàm metallo fulvo repleti.

In Cilicia, & Tauro invenitur genus Luporum teste Opiano, Chrysaon dictum, hoc est aureum. Id æs, ferrum, saxa devorat, & tempore famis terrâ pascitur, quam prædâ habiã egurgitat. Cæcos ut plurimum parit catulos, super aliorum genium feracissimos. An non collactaneus horum censendus est Euclio quisque? Nonne terrâ, auro, argento sese infarcire laborat? Nonne inferno similis, & quântò plures possidet opes, tantò copiosiores desiderat?

VIII. Recenset P. Nider Societatis nostræ, ejusmodi Lupum Constantiæ repertum, qui aurum suum in vita corralum tam perditè deperibat, ut gravi obnoxius morbo, ne quid in medicos de auro erogandum esset, in valetudinarium publicum sese deferri curaverit. Hic cum ultimam sibi instare vitæ lineam persentisceret, & jam inter gravissimos cruciatus, deficiente sensum animo, mortem ipsam anhelaret, jusculum quoddam ex leguminibus sibi parari, & aurum adferri cõflagitaverit. Paratur jusculum, & unà cum auro cista adfertur, cujus aspectu ille animo

*Avari exemplum
terribile.
P. Nider in
Alphab.
Diab.*

animo vehementissimè commotus, obortis lachrymis, & abruptis singultibus ejulare cœpit: Cui te dilectum elementum, cui te thesaurum cordis mei committam? Heu quantis tu mihi laboribus, sudoribus, vigiliis constitisti? Quomodo te tota vitâ meâ medullitùs dilexi, & nunc avellor à te?

Tum admotâ, ut poruit manu, aureos accipit, offæ immiscet, arreptoque cochleari semel, ac iterum in os ingerit; quoad fulminatam animam, unâ cum vita expuit.

*Job. 20.
v. 15.*

Exigite hîc apud vos, an non impletum in eo ad literam, quod prædixerat Jobus virorum patientissimus, ac sapientissimus: *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre extrahet illas Deus.* Exigite an non hîc, ut lupus vixerit, & pejus illo mortuus sit. Exigite, an is unquam *Pater noster, panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, verè dicere quiverit?

§. VI.

Et dimitte nobis debita nostra.

*Matt. 6.
v. 12.
Luc. 11. 4.*

IX. **R** Evoca tibi minimum frater lupe, quòd multa damna intuleris, innumeros defraudaveris, peccatis tuis supremum Numen exacerbaveris, & suspira ad Deum, & dic: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus his, qui peccaverunt in nos.* Dimitte non debita pecuniæ, non restitutionis famæ, ac honoris; quia hæc me refuturum recipio, sed debitum culpæ, ac injuriæ tibi illatæ, quæ reatum sive ob-

ligationem pœnæ, ac gehennæ inducunt, quemadmodum & ego propter te dimitto, nec volo vindictam ullam privatam, aut publicam, nisi quam reata ratio efflagitat.

Hæc est conditio, quam Deus à nobis requirit, quâ positâ facile dimittit, si verò ea desit non dimittit; juxta quod subditur apud S. Matthæum: *Si enim dimiseritis hominibus peccata, eorum dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis, non dimittet.* Hoc est ergo quasi pactum Dei cum peccatore; si dimittis, dimitto; si non dimittis, non dimitto. Unde qui nolunt proximis offensas dimittere, mentiuntur, Deo, & se tacitè condemnant, ac se remissione indignos ostendunt; & quasi contra se sententiam pronuntiant, nimirum ne Deus illis debita sua remittat. Dic itaque Lupe: *Dimitte nobis &c.* Prò dolor! Et id lupo impossibile; & si forsitan ad exomologesim ex consuetudine, aut præcepto se recipiat; nunquam id sincerè, aut cum vero emendationis proposito præstat.

X. Volens nonnunquam Lupus silvestris exonerare conscientiam suam, contulit se ad Asinum quempiam obvium; & Confiteor suum deblaterat. Quærit ex eo Confessarius Asinus, Lupe devorasti verveces? Ita est, reposuit, sed non meâ culpâ. Pergit ille, nonne & capros, porcosque? Annuit & hîc Lupus, sed id non suâ culpâ etiam factitatum. Nonne & Juvencos? Comedi ait Lupus, sed non ex malitia mea, nihil amplius. Quid tamen causæ intervenit effare? Ego respondit haurus

Lupi Confessio.

sturus parum aquæ liquidioris, accessi flumen, & ecce vervex sordidus turbavit mihi illam, ac miscuit, eapropter docturus illum mores, invasi, & ligurii. Et porcum cur devorasti? Componebam me ad somnum, & hic grunnire incepit. Cogitavi itaque, bestia hæc turbabit me, & alios bonos homines, invasi itaque, apprehendi, & offocavi. Quid autem deliquit bos? Jam probè Morpheo indulgebam, cum is ultra milliarium immugit, exhorruui igitur, inopinato excitus boatu, & ut putabam, classico; at ubi mens, sensusque redière, & ille alterum intonaret, accurro, & devoro. Hac in parte non equidem arbitror me deliquisse, si tamen reus sum violatæ mansuetudinis, incuso memet. Audiit hæc tacitus Asinus, & ubi finem fecisset, sententiam tulit, iniquè illum fecisse, quòd tam futili ex causa innocentes animas sustulerit, adeoque seria illi opus esse ad conciliandum Numen pœnitentia. Tum Lupus: O Domine Asine, per Deum rogo, da parvam aliquam, alioqui non implebo. Jejunare in oleo, aut piscibus non valeo, tussim aut catharrum ex illis timeo, & ne graviore affligar ægitudine, percellor. Ut etiam corpus meum sat emaciatum, ac tenerum excruciem, religio mihi est. Comedas sanè, reponit Asinus, carnes; verùm tam temperatè, ut non excedas quantitatem auriculæ meæ. Audiit hæc lupus, & arreptis ejus, qui illi à Confessionibus erat, auribus, momentò concidit, devoravitque. Ecce, qualis confessio, talis satisfactio.

Et num pauci hac in parte lupum æmulantur? Num pauci levissima de causa familiæ mercedem defalcant, aut alios opprimunt, emungunt, circumveniunt? Num pauci, qui alios quæ verbis, quæ factò graviter læserunt? Interim aut quærunt Asinum, cui peccata deponunt, aut peiores remigrant, quàm accesserunt, nullò conceptò propositò, aut restitutionis, aut emendationis. O Lupe frater, scito, quòd non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Scito, quòd nisi dimiseris aliis peccata eorum, nec DEUS Pater dimittet tibi peccata tua. Scito, quòd frustra abolutionem extorqueas, nisi emendes, quod plangis. Ad dic *Lupo Pater noster, & ille exulabit ovie.*

Avarorum confessio vana

§. VIII.

Et ne nos inducas in tentationem.

XI. **N**ON omnino de tua salute despero, mi Lupe, nec tam perfrictæ frontis animal te esse autumo, ut per nequitiam dissipis, ac disperdas ovieulas. Occasio nimirum, tentatio facit furem, ac perditum peccatorem. Dic ergo: *Et ne nos inducas in tentationem.* Non permittas nos, ô Domine, in eam induci tentationem, quæ capiamur, & illaqueemur. Sed incassum tento & istud.

B b

Cœpit

Lupi pro-
positum
fragile.

Cœpit quadam nocte Paterfamilias lupum in stabulo, & præ gaudio exclamavit: Expecta furcifer, jam te teneo, hic mihi dabis collum, tot oves unô tuô persolves coriô. Ille ad lupinam conversus demissionem, rogat, obtestatur, emendationem spondet, pejerat, deinceps se injuriam nulli facturum. Regerit Paterfamilias: Ho, ho, lupe, novi genium tuum, pilum, non naturam mutabis, novi effraenem ad carnes appetitum tuum, non sustinebis, non desistes. Exululat rursus lupus, & per Deos, Deasque, per capreas, hinnulosque cervorum obtestatur; Parce Domine, jam me corrigam. Paterfamilias religione tactus, siquidem, replicat, ita me obtestaris, ecce liberum te dimitto, sed ea conditione, ut unico grosso terminetur prandium tuum. Jurat tertium lupus, & dimittitur liber. Ecce verò, de juramento anxio, occurrit porcellus insignis. O tentatio! Quid facio, inquit? Comedo, propositum, & votum infringam. Quid? nequaquam. Est setaceum unum, pecca una, vix solido vœniit. Hæc intra se disceptans, invasit, degulavit. Ereptat paulò post ultra, & bovem cum vitulo offendit. Hic rursus religione, ac conscientia remordente tactus, deliberat, quid faciat, deciditque bovem duobus solidis, vitulum unô æstimandum. Hac definitione frectus, & hunc & illum necat, & depascitur.

Fabula hæc, Audi mei, sed veritas, quod nemo magis tentationibus obnoxius, ac avari. *Qui volunt, ait Vas*

v. Tem. 6.

Electio Paulus, *divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli.* Quoquò se vertunt, occurrit illis tentatio. Conferunt sese ad viridaria, ad campos, prata, comitatur tentatio, si ruum esset. Ad forum, ad nundinas, ad vicinos, tentatio, si fallere posses. Nec petunt se ab iis liberari, sed dolent se tam parum irretitos esse. Rogent ergo: *Et ne nos inducas in tentationem.* Incassum, incassum.

§. IX.

Sed libera nos à malo.

XII. **U**T video, oleum & operam perdo tecum, mi Lupe, id ultimum moneo, ut noveris, tibi foveam esse paratam, eamque profundissimam; noveris, Leonem Averni, qui per Antonomastam dicitur malus, tibi insidiari; noveris, tibi, tuisque mala instare gravissima. Dic ergo: *Libera nos à malo.* Libera, inquam, nos Domine ab omni malo, quod vel ad peccatum trahit, vel in via virtutis, ac perfectionis remoratur. Nullus mihi in sæculo ò DEUS timor erit, si tumeus tuor eris. At dic Lupo, *Pater nosser,* & ille iterum atque iterum exululabit ovis, ovis.

Quid igitur ago tecum, quid suo deo? Id quod lupis agnatum, & quod D. Jacobus Apostolus inculcat: *Agite nunc divites, (agite lupi rapaces) ululate in miseriis vestris, que adveniunt vobis. Divitia vestra putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comestæ sunt.*

Jacobi 5.
v. 1.

Sunt, aurum, & argentum vestrum a-
ruginavit, & arugo eorum in testimo-
nium vobis erit, & manducabit carnes
vestras, sicut ignis. Loquitur hic Apo-
 stolus de futuro, quasi de præterito; &
 perinde ac si jam factum esset, quod e-
 venturum erat. Certò certius enim
 illa rerum catastrophe vobis impen-
 det, aurum vestrum in auram evanes-
 cet, & de potentia sola superstes ma-
 nebit miseria; de opibus inopia; de de-
 litiis fames; de purpura & bysso nuditas,
 de divitiis non nisi vitia, de tantis
 mortalium favoribus, non nisi immor-

talium nunquam interitura odia. Quip-
 pe, ut idem subdit: *Theaurizastis vo-*
bis iram in die ira. Arbitramini vos ga-
 zam quampiam thesaurorum coacer-
 vasse, & conflastis vobis cumulum cala-
 mitatis, ac miseriæ, fulminum, ac tor-
 mentorum.

Id ne tandem superveniat re ipsa vo-
 bis, nunc ululate in miseriis vestris,
 rapinas dimitтите, aliena restituite, da-
 mna compensate, & Numen of-
 fensum placare sat-
 agite.

